

II.

D. O. M. B. A.

De

# Carolo Magno,

DISSERTATIONEM HISTORICAM

*In Electorali Leucoreâ*

publicæ placidæq; disquisitioni submitunt

PRÆSES

M. Gottlieb BALDUINUS,

Cycneus,

ET RESPONDENS


ANDREAS Richter /

Bözin. Hungarus,

*Ad diem XXII. April. A. R. S. c l o l o c LXIII.*

Horis matutinis,

*In Auditorio Minori.*



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.



K. 86, 1.





Q. D. B. V.



**M**Æc illa Imperii vicissitudo, ut non rarò ad optimum à minùs bono transferatur, de gente in Gentem, de homine in hominem; sive collapsum ejus restituetur auspicio. Ad quod opus ingenio Heroico, & indole prorsum singulari opus est: Perturbare enim Rempubliam & polluere rudi suo impetu suisq; cupidinibus & libidinibus quisq; potest; At restituere labantemq; fulcire statum, Augusteum valet ingenium. Ubi omnis quidem Instaurationis efficacia divini & operis & favoris est: Sed quæ per Heroica Ingenia plerumq; in res humanas dispensatur. Nil attinet exempla foris quærere; domi invenimus; De tanto Heroë gratulari sibi etiam Germania habet: Sic enim ad Romani Imperii provectum esse fastigium CAROLUM nomine, virtutibus, rerumq; gestarum gloriã verè MAGNUM, in vulgus quoq; notum putamus; Singula verò recensere exactè, aut è priscis eruere monumentis, etiam peritissimos fatigavit. Operæ tamen pretium videtur, recolere pauca breviter in usum nostrum. Semper enim ac nusquàm non Virorum ingentium perstat memoria, ipsiq; ad posteros Majori admirationi sint. Quapropter delineabimus saltem CAROLUM, quem ad vivum alii expresserunt.

A 2

§. I. Ger-

**G**ermaniam Carolo dedisse patriam, nemo, nisi Germani nominis hostis in dubium vocabit, A. C. 742. in quem nativitas incidit (ex anno obitus numerata) Ingelheimium villam duobus propè milliaribus Moguntiam distantem. Scriptores assignant, in hoc satis splendidam, quod exceperit profapia celebri ad virtutis famamq; splendorem maximum natum.

*Bodin. Meth  
Hist. c. 7.*

*Crantz. l. 2.  
c. 8. R. S.*

*V. Franco-  
Gall. Hoto-  
man. c. 12.*

*Job. Nau-  
cler. Gen. 26.*

§. 2. Paternum illi genus illustri Francorum stirpi annexum est: Praefecti aulae, seu Palatii officio fungebantur Maiores, (alii Majorem domus appellant) qui Regni administrationem & omnia domi vel foris disponenda agebat. Hoc velut haereditario jure à Carolo Martello, Avō C. M. Pipinus Pater acceperat: Penes quem, uti summa rerum atque autoritas maxima erat; Ita Regibus in omnem depravatis libidinem, otioq; fluentibus, cum praeter nomen ac titulum nihil gererent, stabilire potentiam suam facile poterat, adeò denique excrecentem, ut perspectam Regum inertiam, Hildericus homo vecors, de tonsō capillo monasterio deputaretur, nomine ac munere in Pipinum collatis. Enimverò consulenti Zachariam Pontif. R. quod & proceres populiq; ejus gentis Pipini virtutem & Regis Hildericus amentiam debitis pensarent meritis; Ineptumne Regem & inutilem tolerandum, an Pipinum meritum fraudandum Regiam dignitate censeret? cum Pontifex respondisset, eum qui melius obire potest munera, habendum Regem; Franci publico totis Gentis Consilio Pipinum Regem eligunt, &c.

*Tract. de  
Jur. Regn.  
& Imper.*

§. 3. Atq; ita simul constat, quam vanè Romani Pontifices sibi potestatem arrogent, eligendi non tantum sed & de solio turbandi Reges; Cum hic ne jus quidem consilii dandi obtinuerit, nisi rogatus. Nec mirum est, obniti contra, qui emolumentum dulcedine illecti Papae salem lingunt. Quamquam paulò, inter ceteros, mollius Lupold. de Babenberg: Zacharias, inquit, deposuit Regem Francorum, expone, id est: deponendum consuluit & consensit.

§. 4. Eâ

§. 4. Eâ tempestate Romani à Longobardis pressione- *Frising. l. 5.*  
ribus crebrisque irruptionibus, Græcorum destituti auxilio, *c. 15.*  
Pipini opem implorabant, non parùm sollicitante Pontifice;  
sive pacem maluit, sive dominium. Cùm enim ne soli Italiæ poti-  
rentur, duo præprimis sibi obstare animadverterent; Exarchos,  
ab Imp. Constantinopol. eò missos, Regnumq; Longobardo-  
rum; miris tentârunt artibus, ut potentiam Exarchorum per  
Longobardos; Longobardorum, per Francos extirparent.  
Atque illis quidem jam oppressis, fatum & his imminebat;  
advolante cum exercitu Pipino, qui nunc vi, nunc autoritate  
suâ semel iterumq; Aistulphum, ut traderet Exarchatum, com-  
pulsit, fidei postea, ut ferunt Pontificis permissum.

§. 5. Quæ præterea à Pipino gesta sunt, tametsi Caroli  
majus extollant gloriam, superse demus, ne quid de gestis ejus  
detraxisse videamur. Novissimum in Saxones impetum fecit,  
quibus prælio victis paulò post è vivis excessit, relictis Filiis  
Carolo nostro & Carolomanno; quorum hic cùm anno post  
obitum Patris tertio secutus esset, Carolus consensu omnium  
Rex Francorum constituitur.

§. 6. Hic non tam Jovi frigido, aut Rheno patri, ut  
olim Germani, quàm pietati, ut adveverat à teneris; Ita nec  
grandior omisit; Ac non togâ tantùm, sed etiam sago eni-  
tescere pulchrum ratus, bellicas artes cùm prudentiâ, studiisq;  
salubri Regni temperamento miscere ceperat. Et tam præclara  
Majorum suorum intuitus exempla, quid aliud potuit, quàm  
exprimere in sese, quod in illis admiratus esset laudabile? Imò  
cùm alii ex paternâ majestate nihil, præter speciem nominis  
vigoremq; retineant; Ipse avitis paternisq;, virtutibus simil-  
limus, omnium ante se actorum comparisonem amplitudi-  
ne vicit.

§. 7. Quasi per benignitatem peccâssent Natura, nisi  
dignum Heroico spiritu domicilium largita, dignum pariter *Eginh.*  
Imperio formam addidit: Corpore enim memorant fuisse *Cranz. Sc.*  
robusto, septem pedes suos procero, capite rotundo, oculis  
prægrandibus vegetisq;, & (si Turpino fides) leoninis, scintil- *Turp. Hist.*  
lantibus ut carbunculi, naso paulò majore, facie lætâ & hilari, *l. 20.*

incessu firmo, voce clarâ, valetudine prosperâ, cervice brevior & ventre projectiore; Ita ut ex hac præclarâ decentiq; constitutione generosa ac præclara Indoles rectius apparuerit.

l. c.

Camerar. H.  
S. Cent. 3.  
c. 41.

§. 8. Utrum autem delineatio Caroli à Turpino prodita, reliquis ejus statuis & Imaginibus antiquis conveniat, affirmare nolumus, cum fabularum major sæpè autor quàm historia sit. *Memini, ait Celeberr. Camerarius, me aliquot statuas & picturas Carolum representantes, unam quidem Fulde, alteram in Curia nostrâ videre, ex quibus licet satis manifestum sit, ipsius proceritatem superasse mediocritatem; attamen Giganteum corpus eum non habuisse, apparet. Hac ille.*

Witichind.  
l. 1.

§. 9. Sed veniamus ad Gesta Caroli; In quibus recensendis cum ipsa sibi obstet magnitudo, rerumq; diversitas, summa saltim eaq; potiora rerum vestigia sequemur. Nondum patraverat Pipinus cum Saxonibus & Aquitanis bellum, victis magis, quàm domitis: Nec enim perinde exitus bellorum, uti initia penes Duces sunt. Atq; Aquitanos quidem unâ adhuc regnante Fratre Carolomanno sibi subiecit; Nullum tamen asperius pessit, majorisq; celebritatis, quàm quod Saxonicum dicitur, haud abs re primo loco numerandum. Quo XXXIII. circiter annorum perpetuâ contentione feliciter confectio, bellicosissimam Gentem non ad Imperium modò, sed ad Christi Religionem adjunxit. Ubi illud insuper monendum obiter, vix fidem mereri vulgò solita narrari de Witichindi regia in omnes Saxones potestate, id quod vel ex Witichindi verbis disertè patet. *A tribus, inquit, etiam Principibus totius Gentis Ducatus administrabatur, certis terminis exercitus congregandi potestate contenti, quos suis locis ac vocabulis novimus signatos, in Orientales sc. populos, Angarios atq; Westvalos. Si autem universale bellum ingrueret, sorte eligitur, cui omnes obedire oportuit, ad administrandum imminens bellum. Quo peracto, æquo jure ac lege propriâ contentus potestate unusquisq; vivebat. Ut taceam, nullius Regis Saxonici in historia Caroli M. mentionem fieri; & Witichindum dici solis Angrivariis præfuisse.*

§. 10. Non

§. 10. Non in eo tamen solum intentus Carolus ulterius per hæc tempora arma circumtulit; Quorum vim expertus præter alios Desiderius est Hetruriæ Dux: Nam quamvis ducere Filiam ejus Bertham Carol. cogitasset; Disuadente tamen Stephano P. R. (fortè ne Longobardi Francis juncti Pontificum quicquam dignitati detraherent, verito) illâ repudiatâ Hildgardin Suevam sibi conjugem adseivit. Quæ discordiæ semina ad votum deinceps Pontificis crevere; Etenim motus super illatâ vi querelis Pont. Carolus, bis contra Longobardos Pontificem oppugnantes profectus, novissimè fuso illorum exercitu, obsessâ Papiâ Desiderium unâ cum urbe cepit, quem nec legationibus nec donis, (si Anastasio fides) antea commovere poterat, ut pacem cum Pontifice coleret. Ita fortissimæ Gentis potentia per totam hæcenus Italiam protracta, tanquàm ingens arbor sive annis, sive deliciis confecta, vigoreq; pristino exhausta tandem exaruit.

§. 11. Abhinc in Campaniam usq; progressum, cum omnem jam Italiam in libertatem asseruisset, ac bonis legibus constituisset, levati liberatiq; crebris auxiliis Romani, tot victoriis clarum Patricium sibi adseivere; Quorum officium ex glossâ antiquâ patet. c. Adrianus Dist. 63. *Patricius Pater Papa in temporalibus fuit, sicut Papa in spiritualibus ejus Pater, quia ipsi, ut Patres filiis, Republica providebant.* Ac videtur eorum jam penè obscurata auctoritas tum deficientibus Imperatorum rebus novam, cum Carolo quasi lucem cepisse.

§. 12. In saltibus Pyrenæis hæsit victoria: Tametsi enim in Hispaniâ adversus Saracenos feliciter pugnasset; magnâ tamen clade affectus ab insidiantibus ibi Vasconibus Aquitanix populo, fortissimum Britannici litoris Præfectum Rulandum amisit. Quanquam virtutis suæ cotem habuisse Carolus videatur: Ita nimirum sæpè cadimus, ut alacrius surgamus; Et vix sentimus fecisse damnum, si rependatur. Præter enim *Cæs. Bell. Gall. l. 5.* quàm quod Galliæ Civitates ad Oceanum sitas, Armoricas Cæsari dictas, stipendium dependere annum Franciæ Regibus debitum recusantes, ad officium redegit, Bohemiam pacavit, Bavariam Tassilone Duce rebellantem; Hunnos etiam, quos in auxilium vocârunt, bino exercitu adortus, & in Bavariâ, &  
foro

foro Julio superavit. Magni & hoc constitit bellum, demum octennio finitum, at si cum receptis ab Hostibus spoliis conferras, tanti non æstimandum.

§. 13. Ita fortissimus Heros Francorum Regum prius intra Saxoniam & Danubium, Rhenum & Salam, Sveviam atq; Bavariam finitum in Germaniâ Imperium, ultra Saxoniam, Pannoniam utramq; Daciam, Istriam, Hiberniam & mediterraneam Dalmatiæ partem longe lateq; extendit. Galliam quoq; antea Rheno & Ligeri, Oceano mariq; Balearico terminatam, omni adjectâ Aquitaniâ, totôq; Pyrenæi montis jugo ad Iberum usq; flumen, totâq; inde ab Alpibus usq; Calabriam Italiâ mirum quantum adauxit, quod prolixius testantur, qui res Caroli in historias contulerunt.

V. Zon.  
T. III.

§. 14. His similibusq; gestis Magni nomen promeruit CAROLUS; Major, si Imperatoriam, in quâ deniq; eminuit, majestatem spectes. Rem ita strenuè feliciterq; gerente, ut Byzantii sub cruento Irenes Imperio; nec Romæ minor tumultus extitit. Leo III. Adriani Pontif. Successor haud ignarus, quantum deberet Benefactori ac Patrono suo, Populum Rom. in Caroli verba adegerat, misso etiam Urbis vexillo. Ægrè id aliæque ferentibus Adriani necessariis, habitus indignè, vix tandem, leviter saltim perstrictis oculis eorum miseratione, quos excecatum miserant, ad Carolum in Germaniam evasit; Cujus auctoritate reductus, pristinaq; ringentibus nec quicquam adversariis dignitati redditus est, postquam crimina intentata juramento eiussset: Jam tum enim auditum fuit: Nefas esse, Papam R. à quoquam judicari.

§. 15. Tum demum maximo, qui restabat honore perviguit Carolus: Nam Pontifex Populusq; Roman. sive ut majorem ei pro acceptis beneficiis gratiam referrent, sive ut contra insultus hostium tutius munirentur fortissimo Rege; Sive etiam, ut priscum revocarent Imperii decus, Carolum nihil tale cogitantem, ipsis Feriis Natali Christi sacris in D. Petri Basilicâ imposito diademate, populoq; acclamante, Imperatorem Augustum salutant. A. C. 1000 CCCI. regni sui XXXIII. Quam inaugurationem maximè aversatum pariter affirmasse ferunt, se in tantâ solennitate, si præscivisset hoc, nec templum  
ingres-

ingressurum fuisse. Nempe quò se fortuna, eò & favor hominum inclinât. Cœterum DEÏ benignitate virtuteq; Germanorum id factum esse, facile omnes judicabunt; si modò res humanas voluntate divinâ consilioq; non fortè fortunâ regi & gubernari, nobiscum unâ credunt.

§. 16. Sic Rom. Imperium, quod est ad Occidentem Solem, à Græcis ad Francos antiquissimos Germaniæ populos pervenit, ita restitutum, ut altero majus digniusq; habitum fuerit; Quod unâ cum reliquis versus Occidentem Provinciis, à sedis Imperatoriæ in Orientem à Constantino M. factâ translatione, Romani nominis hostibus toties prostitutum fuit: Illæ enim, quasi pro derelictis habitæ, barbaris animos fecerunt, ut velut vacuum possessionem apprehendentes, obviam quæq; invaderent; donec virtute Caroli senectus Imperii quasi redditâ juventute reviruit. Nec videbatur ejus majestas uno in populo diutiùs quiescere & vigere posse: nisi genti, quæ sola tam diu Romanis obstiterat, concederetur.

§. 17. Observandum hic elogium, quo præter alios Florus Germaniam ornavit, cum aliàs barbaris parùm laudis relinquat: *Germaniam, inquit, utinam vincere tanti non putasset Augustus; magis turpiter amissa est, quam gloriosè acquisita; Deinde victos magis, quam domitos ultrò fatetur: Deniq; resumpta arma quodãmodo excusans, omnem in Romanorum libidinem, superbiam ac sæviora armis jura culpam confert; i. e. quid aliud quàm Germanorum Virtutem & fidem, & generosi magnitudinem animi dilaudat?* (Neq; sanè abs re Plinius adeò succenseret hostibus transRhenanis, si Germani quoq;, ut Afri, Asianiq; & Galli & Britanni Romanorum Imperiis dicto audientes fuissent.) Quid dicturos existimamus, si nullibi terrarum Imperii nomen Romani, sedemq; nisi apud Germanos & quæri cernerent & inveniri? *Urbis antiquæ, terrarum Dominiæ, dignitatis tantùm ac nominis vestigium mansisse?* ut *Frisingens.* loquitur.

§. 18. De eo nunc disquirendum esset; Cujus autoritate translatum sit ad Germanos Imperium? In quo, ut in aliis, quantum sibi Pontif. Rom. arrogantia vendicat, vel ex literis Adriani IV. P. R. ad Fridericum I. datis liquet; quæ exstant apud Radevicum, brevitatis causa omittendæ. Quàm indignè a. tulerint

B

factum

Flor. l. 4.  
c. 12.

Forstn. in  
Tacit.

Thuld. Hist.  
per Europ.  
l. 9. p. 288.

Ott. Frising.  
l. 4. c. 31.

Radev. l. 1.  
de R. G. trid.  
c. 9.



c. sq.

factum Imperator & qui tùm aderant Imperii Principes, idem autor tradit; unde ea saltim depromimus: *Cùm strepitus & turba inter optimates regni, de tam insolitâ legatione magis ac magis invalesceret, quasi gladium igni adderet, dixisse ferunt unũ de Legatis: (erant autem Rolandus & Bernhardus Cardd.) A quo ergò habet, si à Domino Papâ non habet Imperium? Ob hoc dictum eo processit iracundia, ut unus eorum, videlicet Otto Palatinus Comes de Bajoria (ut dicebatur) propè exerto gladio cervicis illius mortem intentaret. Idem confirmat, quod Imperator in literis ad omnes Rom. Imp. subiectos missis testetur: *Certè ad vocem illam nefandam, & omni veritate vacuam, non solum Imperialis Majestas debitam indignationem concepit; Verùm omnes Principes, qui aderant, tantò furore & irâ sunt repleti, &c.* Nec tamen factum Pontificis retuderunt, quin ad Moguntinensem, Coloniensem & Trevirens. Archiepp. inter alia scriberet: *Imperator quod habet, totum habet à nobis. Sicut Zacharias transtulit Imperium à Grecis ad Theutonicos; ita nos possumus ab Alemannis transferre ad Grecos. Ecce in potestate nostrâ est, ut demus illud cui volumus, &c.* Hæc Adrianus.*

§. 19. Quamvis autem negari nequeat, haud exiguas fuisse Pontificis tanquàm præcipui Reip. Rom. membri, in hoc negotio partes; vehementer tamen fallunt, aut falluntur, qui omnia eidem temerè accepta ferunt; atq; insigni Pop. R. injuriâ afficiunt, quem nullatenus tùm temporis Pontifici subditum fuisse, sed libero usum in declarando Carolo suffragio, vetera satis ostendunt monumenta. Quibus ad stipulatur mirus cæteroquin Autoritatis Pontificiæ assertor Anastasius; ab omnibus electum Carolum; Æneas Sylvius pariter, postea Pius V. dictus Papa: *Populus, ait, ille Romanus, qui suo sanguine paraverat Imperium Carolum M. primò Patricium, post Augustum, concurrente Pontificis consensu salutavit.* Mitto aliorum testimonia, cùm instituti nostri non sit, fusiùs ista persequi.

§. 20. Redactis itaq; tot tantisq; ad unius Principatum Provinciis, propè erat, ut Orientale quoq; Imperium cum Occidente iterum coalesceret. Tertia Uxor Caroli Luitgardis obierat; Idcirco haud inconsultum videbatur, Imperii opes connubio Principum copulari, Irene Orientis Imperatrice jam satis ad id propensâ. Sed invidiâ Etii Spadonis, quanquàm suo Augustaq;

V. D. Conring. de Rom. Imp. Tract.

Anast. in Vit. Leon. Æn. Sylv. de ortu Rom. Imp.

gustæq; exitio, impeditum est; relegante eam paulò post in Lesbium  
Nicephoro, à Legionibus salutato Imperatore, ubi contabescens  
mœrore scelerum suorum pœnas luit. Hic ipse Nicephorus, ini-  
quus, more ingenii humani, fortunæ Carol. æstimator, factum qui-  
dem Romanorum indignè tulit; Caroli tamen modestiã pariter ac  
humanitate delinitus, maluit amicitiam ejus donis firmatam, certis  
utriusq; Imperii fixis limitibus, quàm fortunam experiri.

§. 21. Uti verò frustra adversus vim externam munitur Im-  
perium, si intus confuso pietatis honestiq; discrimine velut dome-  
stico dissidio confidatur; Ita religionis, artium liberalium, Prin-  
ceps ipse doctissimus, optimarum legum, & quæcunq; Principatum  
firmant, virtutum curam, etiam inter arma suscepit. Atq; illam qui-  
dem everfis Deastrum statuis, longè lateq; propagavit, ad Saxones  
præsertim; quos ut non suis tantum, sed & Christi Imperio ac legi-  
bus obsequentes in officio contineret, sacras passim opportunis  
in locis instituit Episcoporum præfecturas, quorum ope, divinã  
gratiã, salutifera Evangelii lux inter densissimas paganorum te-  
nebras passim accensa est. Ac quoniam viderat, à Catholicã fide  
hinc inde deviatum esse, de quo & sæpè conquestus est, coactis  
conciliis, sepeliendis Doctorum disidiis, abrogandisq; abusibus  
incubuit. Hinc Rhemense, hinc Moguntinum, aliaq; Memo-  
ratu dignum illud Francofurtanum, cum nondum esset Imperator,  
habitum; In quo non tantum hæresis Felicis & Elipandi; sed &  
cultus Imaginum damnabatur contra Pseudo-Synodum Nicenam  
II. quam septimam Græci appellant; Et hunc tamen Hadrianus  
P. R. in illã sanciverat. Tam sacra nempe sunt non rarò Pontif.  
conciliabula, ut execratione opus habeant decreta.

§. 22. Mirum itaq; est, Parasitos Romanæ curiæ usq; adeò  
elevare auctoritatem Pontificis, ac Dictatoriam quasi potestatem;  
Non hoc fortasse in mentem venit; præsertim quod Hadrianus  
P. R. jus nuper Imperatibus proprium, eligendi, investiendi, con-  
firmandi Episcopos & Pontificem ipsum concesserit, sub pœnã  
anathematis bonorumq; publicationis, si quis quicquàm contra  
auderet. Leges Ecclesiasticæ Caroli in Capitulis extant, quæ *cit. Excel. D.*  
Bibliothecã Spirensis Ecclesiæ edidit Busæus Mogunt. A. C. 1602. *J. H. Ursin.*  
In his etiam sanæ doctrinæ formulam Episcopis præscripsit Impe- *Epit. H. E.*  
rator Optimus, in edicto Aquis grani A. C. 789, dignam, quæ tota *p. 120.*  
inauretur, *B 2* §. 23. Bar-

Exc. Dn. D.  
Strauch. dis-  
sert. de Com-  
put. Germ.  
S. 17.

Thuan. l.  
LXXVI.

Eginb.

Vell. l. 2.  
c. 126.

247 620

§. 23. Barbara tūm temporis partim Latina mensibus ven-  
tisq; nomina Franci indiderant; ipse cum patriā lingvā commu-  
tavit. *Quam ut mensium; Ita totius Calendarij appellationem pariter  
ac dispositionem, Imperatoriā auctoritate introductam in hunc usq;  
diem retinemus; usq; dum Imperatoriā & statuum Imperij Romano-  
Germanici auctoritate correctio quaedam suscipiatur.* Eò collimat  
egregium Magni in Germania Principis Judicium, qui libertatis  
avitæ memor, Calendarium Gregorianum à cervicibus suis &  
aliorum populariū repellendum censens; Sed & Cæsareæ digni-  
tatis interesse, ne reciperetur, Carolum M. Imp. Occid. Condi-  
torem & Calendarium ipsum & nomina mensium Teutonicā  
lingvā Germanis dedisse asseruit.

§. 24. Quantis eminuerit virtutibus, apud Eginhardum, an-  
tiquissimum Scriptorem, ejus Notarium, & tandem Generum,  
& ad extremum Abbatem in Monasterio Saligenstadenfi ad Mo-  
gonum videre est. Unde Germania nostra maximū naçta splen-  
dorem, non poterat non sub tanto Domino ad summa crescere,  
qui quod optimum sit, nobilissimum putarit. Nimirum facere  
rectè Cives suos Princeps optimus faciendo docet; cumq; sit  
Imperio maximus, exemplo major est. Neq; enim hīc moramur  
præpostera aliorum judicia, qui Principum arcana temerant,  
inq; eorum actiones censoriam sæpè virgulam stringunt.

§. 25. Gravis ætate fractusq; Ludovicum Filium consortem  
Imperii, Bernardum nepotem Regem Italiæ constituit; Cūm n.  
penes Imperatores Constantinopolitanos illa dignitas hæredi-  
taria fuerit; quidni & Carolus ad se devoluto Occidentis Imperio  
eam pari jure usurparet? Sed dum partitus regna est, potentiam  
debilitavit; Odiā & mox dissidia genuit divisa majestas: Tūm in  
belli causas suspicio, & in diversum trahentes ministri valuerunt.

§. 26. Sic rebus omnib9 ex sententiā compositis, factoque testa-  
mento, Heros fortissimus vitæ, honorū laborumq; satur, anno ætatis LXXII.  
corruptus febrī, cūm abstinentiā pellere conaretur pleuritidem sibi adtraxit,  
quā paulò post confectus obiit, Aquis Grani A. C. 15 CCCXIV. reliquis in  
templo ibi B. Virgini dicato reconditis, Rex Francorū XLVII. Italiæ XLII.  
Imperator XIV. annis, Pius, Felix ac rerum gestarum gloriā verè Magnus;  
Quod magnum ac memorabile nomē titulos non admittit, quia dum disces-  
sit Carolus, mortalitatem excessit. Quæ restant, aliò differenda, nos huc  
usq; progressi pedem figimus. Voto finiendum est;

Deo Monarchæ g Lorla pax In terris!

no

W.A.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches**  
© The Tiffen Company, 2000  
**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black

Carolo  
PREFATIO  
in  
p  
M  
A  
W  
R  
H  
L  
v  
S  
m  
t  
u  
r  
M  
fa

&  
Re  
di  
ba  
Ul  
op  
pl  
ex  
He  
ad  
Lu  
ve  
Si  
m  
ta  
u  
ru  
M  
fa

